

te á las que reciben los funcionarios públicos. (Prólogo de los *Nuevos opúsculos* de Fleury, publicados por Emery.)

Se puede añadir que, aun concediendo al clero católico una dotacion que no puede negar sin infringir las leyes de la justicia y de la religion, el gobierno no la mira como una parte del producto de los bienes eclesiásticos, cuya enagenación ha ratificado la Santa Sede. Ademas, esta dotacion varia y puede variar indefinidamente, segun el espíritu de nuestros legisladores, que la votan solamente para un año, reservándose aumentarla ó disminuirla en el año siguiente segun juzguen convenir, asi como pueden aumentar ó disminuir la subvencion que conceden á los ministros protestantes ó á los rabinos: todo lo cual no está muy en consonancia con el derecho *perpetuo ó permanente* que, segun la doctrina comun, es inherente al beneficio eclesiástico propiamente tal. Por cuyas consideraciones hemos adoptado la opinion de M. Emery en nuestra edicion de las *Conferencias de Angers*.

Pero ha prevalecido la opinion contraria; especialmente en vista de las decisiones de la Sagrada Penitenciaría, de 9 de Enero de 1819, 9 de Agosto de 1821, y 9 de Enero de 1825. Segun estas decisiones, la pension (*salaire*) que el clero de Francia recibe del gobierno, debe considerarse como renta *eclesiástica*. La razon que se dá, es, que cuando el Papa Pio VII legitimó la venta de los bienes de la Iglesia, lo hizo únicamente atendiendo á la obligacion que contrajo el gobierno, de proporcionar al clero una dotacion decorosa; de suerte que esta debe tenerse como parte de los bienes que pertenecian á las iglesias de Francia antes de la Revolucion. (V. la Teologia de Monseñor Bouvier, *de Jure*, cap. 2 art. 1 secc. 4; el tratado de *Justitia et Jure*, impreso en Amiens en 1827, disertac. 2 cap. 2 art. 1; la Teologia de Tolosa de *obligationibus*, part. 2 cap. 2 secc. 2 art. 2; el tratado de *Justitia* por M. Carrieres, núm. 194.)

No habria dificultad, si la pension votada en favor de las diferentes categorías del clero, fuese determinada y fija, segun el espíritu de los Concordatos; de suerte que no dependiese del capricho de las Cámaras. Las decisiones de la Sagrada Penitenciaría se fundan sobre el compromiso que el gobierno contrajo de *dotar* á las iglesias de Francia, ó de asegurar al clero una subvencion decorosa y que no estuviese sujeta á eventualidades. Mientras no se lleve á efecto esta dotacion, nos parecerá difícil conciliar la nocion de los bienes *eclesiásticos*, con el carácter de la *subvencion ó asignacion* que perciben del gobierno los obispos, canónigos y párrocos.

TITULUS X

DE MALEDICTO SIVE BLASPHEMIA.

1. BLASPHEMIA QUID? EJUS SPECIES.—2. BLASPHEMIA IMPRECATIVA.—3. PENÆ IN BLASPHEMOS.

1.

MALEDICTUM, sive blasphemia, qua Deo ore injuria irrogatur, duplex distingui solet: alia nimirum *enunciativa*, alia *imprecativa* est. Enunciativa blasphemia committitur, cum Deo ne-

gatur, quod ipsi convenit, ut si quis neget, eum esse omnipotentem, justum, immensum etc. vel cum ei tribuitur, quod ab ipso alienum est, ut si quis eum non providum, injustum, insipientem etc. dicat, vel denique cum creaturæ, quod unius Dei proprium est, adscribitur. Hujusmodi blasphemiæ, cum manifestum errorem contineant, hæreticales appellantur, ideoque blasphemi habentur instar hæreticorum, licet revera hæretici non sint, si illis, quos ore evomunt, erroribus non assentiantur.

2. Imprecativa blasphemia est, cum quis in Deum malum aliquod imprecatur, vel cum eum conviciis, et maledictis insectatur. Olim ethnicis nihil erat antiquius, quam Christianos ad blasphemias in Deum ore promendas adigere (1); atque hæc communis erat Christianæ religionis abjiciendæ ratio (2). Est etiam blasphemia in Deiparam Virginem, vel in Sanctos, quæ in ipsius Dei convicium et injuriam redundat; ideoque blasphemia dicitur (3).

(1) De Christianis, qui á religione defecerant, scribit Plinius ad Trajanum l. 10 Ep. 97 n. 6 p. 629 ed. Cellarii Lipsiæ 1711: «omnes et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt, lique et Christo maledixerunt.»

(2) Id ex iis constat, quæ de Polycarpo narrat Eusebius l. 4 histor. c. 15 p. 167 ed. cit. Cum enim Asiæ Proconsul juberet, eum in Christum convicia proferre, ut ita ab se abjectam Christianam religionem ostenderet, ipse respondit: «tres et octuaginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam affecit injuria; et quomodo possum impie loqui adversus Dominum meum, auctoremque salutis meæ?» Idem quoque constat ex Dionysii Alexandrini epistola apud eundem Eusebium l. 6 c. 41 p. 304 ed. Cantabrig. cit., et ex Justino Mart. Apol. 2 n. 51 p. 62 ed. Paris. 1742.

(3) S. Thomas 2, 2 qu. 13 art. 4. Sicut Deus, inquit, in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ in sanctis suis efficit; ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.

3. Utrumque genus blasphemiae, sive enunciativæ, sive imprecativæ, semper atrocissimum habitum est crimen, planeque dignum, quod gravioribus pœnis coerceatur (1). Antiquo jure canonico, blasphemi, maxime si hæreticalem blasphemiam effudissent, iisdem, quibus hæretici, pœnis plectebantur. Quare clerici depositioni, laici excommunicationi suberant; civilibus legibus erat etiam pœna mortis constituta (2). In veteri lege blasphemi lapidibus obruebantur (3). Nunc variæ contra blasphemos pœnæ sunt, sed tamen omnes judicis arbitrio, habita ratione criminis, et personarum, infliguntur (4). In hæreticalem blasphemiam tantum Judex ecclesiasticus (5), in blasphemiam non hæreticalem, quod crimen est mixti fori, etiam laicus inquiri (6).

(1) Hinc Synesius Episcopus, cum ei multa, et gravia nunciata fuissent crimina ab Andronico Ptolemaidis Præsides admissa, eum monendum, et mitius corripiendum censuit; verum cum rescivit, eo Præsidem impudentia processisse, ut diceret, neminem sibi e manibus elabi permissurum, ne si ipsius quidem Christi pedes amplecteretur, ipsum non amplius admonendum, sed de Ecclesia solemniter ejiciendum duxit Synesius Ep. 58 p. 201 ed. Paris. 1635. Omnium autem deterrima est blasphemia in Spiritum S., de qua ipse Christus apud Matthæum XII. 52 dicit hæc: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S., non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Verum de blasphemia in Spiritum S. non eadem Patrum sententia est. Cyprianus Ep. 16 p. 195 ed. Amstelædami 1700, grande hoc peccatum ad eos refert, qui in apostasiam, et idololatriam lapsi essent, Christumque abnegassent; Hilarius in Matth. e. 15 opp. t. 1 col. 750 ed. Veron. 1750, et Athanasius in illud quicumque dixerit verbum opp. t. 1 p. 558, et 519, et 570, et 785 ed. Patav. 1777, ad eos, qui Christum Deum esse negant; Ambrosius de Spiritu S. l. 1 c. 5 opp. t. 6 p. 405 ed. Ven. 1781, scelus hoc Pneumatomachorum proprium fuisse credit, atque eadem sententia est Epiphaniæ Hæres. 74 Pneumat. n. 14 t. 1 p. 903 ed. Colonæ 1682, et Philastrii de hæres. c. 67 p. 49 in collect. PP. Brixianæ Ecclesiæ edit. Brixie an. 1758, et idem etiam sentire videtur Chrysostomus homil. 41 in Matth. n. 5 t. 7 p. 448 ed. Paris. 1750 Montfauconii; Basilius Ep. 138 can. 1 opp. t. 5 p. 269 ed. Paris. illud attribuit Pepuzenis, qui in Spiritum S., inquit, blasphemaverunt, Montano, et Priscillæ Paracleti appellationem nefarie, impudenterque attribuentes. Sed Augustinus, quem Fulgentius, atque alii sequuntur, eum in Spiritum S. peccare existimat, qui perditam voluntate, scelus sceleris addit, divinæque misericordiæ incitamenta aut desperans, aut etiam negligens, usque ad vitam exitum flagitiosum animum obfirmate retinet, atque in scelere perseverat. Ille peccat, inquit Augustinus in Ep. 4 ad Roman. n. 14 opp. t. 5 par. 2 col. 955 ed. Ven. 1750, in Spiritum S., qui desperans, vel irridens, vel contemnens prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, et pacis, per quam reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam in peccatis suis, et in eorum impia, atque mortifera quadam suavitate perdurandum sibi esse decernit, et in finem usque perdurat. Tum paulo post ostendit, Hebræos, quos Christus hujus sceleris arguit, in id incidisse, propterea quod Belzebub Spiritus S. miracula tribuentes, ejusdem Spiritus gratiam, qua ad vitam redirent, recusabant, et ideo, si in ea voluntate permansissent, merito nullam iis spem veniæ futuram affirmat. Eodem fere redit sententia Hieronymi in Matth. l. 2 c. 12 opp. t. 7 col. 81 ed. Vallarsii Ven. 1769, Confer Calmetum Diss. de Peccat. in Spiritu S.

(2) Novell. 77; idemque jus etiam in Capitularibus Regum Francorum constitutum est cap. 101 l. 6. Addit. 3 c. 24 t. 1 col. 535 ed. Baluzii Ven. 1772.

(3) Levit. XXIV, 16.

(4) Adversus blasphemos alias indixit pœnas Leo X. Constit. *Supernæ dispositionis* apud Giraldum *Esposit. jur. Pontific.* l. 5 tit. 26 sect. 860 p. 697, et alias Julius III. Constit. In multi 51 p. 508 t. 4 par. 1 Bullar. Roman. His recentior S. Pius V. Constit. *Cum primum* 9 § 10 p. 284 t. 4 par. 2 Bullar. Roman. sancivit, ut laicus, qui Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum, vel Gloriosam Virginem Mariam ejus Genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice pœnam viginti quinque ducatorum incurrat, pro secunda pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvet, et ignomi-

nia notatus exilio multabitur. Plebejus, qui solvendo non sit, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem intergrum, pro secunda fustigabitur per urbem, pro tertia ei perforabitur lingua, et mittetur ad triremes. Clericus vero blasphemus, ex eadem Pii constitutione, pro prima vice privandus est fructibus unius anni omnium beneficiorum, pro secunda ipsius beneficiis, pro tertia demum omnibus etiam Dignitatibus privatus deponendus, atque in exilium mittendus est. Clericus vero, qui beneficium non habet, pro prima vice pecuniaria, vel corporali pœna plectendus est, pro altera in carceres detrudendus, pro tertia demum verbaliter degradandus, atque ad triremes mittendus. Qui in Sanctos blasphemias effuderit, eum S. Pius V. Judicis arbitrio, ratione criminis, ac personarum habita, puniri voluit. Verum, uti monet Cardinalis Albitius de *Inconst. in Fid.* c. 31 n. 159 et seq. nunc a Tribunali Sac. Inquisitionis contra blasphemos, respectu habito ad crimen, atque ad personas, arbitrariæ pœnæ constituantur.

(5) Cap. 18 de Hæret. in 6.

(6) C. p. 2 de Maledic. ibique Gonzalez n. 7.

(N. S. Syn. Hispal. an. 1512 cap. 58, « Mandamus, ut nullus blasphemet, ait, nec improprium aliquod proferat contra Deum Dominum nostrum, nec contra Virginem gloriosam Sanctam Mariam, ejus Matrem Dominam nostram, nec contra aliquem ex Sanctis, sub pœna, quod si fuerit Clericus, incurrat pœnam trium florenorum auri, et quod detruatur in carceres arbitrio judicis; si vero fuerit laicus, ut ultra pœnas de Jure impositas, Judex Ecclesiasticus contra eum procedat prout de Jure. Porro Jure Decretalium cap. 2 de Maledicis ita constitutum legimus adversus publicum blasphemum, « ut, scilicet septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto (dum aguntur Missarum sollempnia) blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium, et calcamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis in pane jejundet, et aqua, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres, si poterit, aliquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus suppetant facultates, id in pœnam aliam commutent. » Quam quidem Gregorii IX Decretalem expressis verbis servandam jussit Conc. Tarracon. an. 1541 in Collect. Lib. 5 tit. 11 cap. un. Ex Constitutionibus Leonis X, Julii III, et Pii V blasphemia hæreticalis in abjectæ plebis hominibus, flagellatione publica, fræno etiam ori adposito, in nobilibus multa pecuniaria, et detrusione in Monasterium puniatur. Jure quoque civili antiquitus pœna in blasphemus constituta erat ultimam supplicium: Novell. 77 cap. un. §. 1: « Qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. » Et §. 2: « Permanentes in hisce illicitis, et impiis actibus post hanc admonitionem nostram, comprehendere, et ultimis subdere suppliciis etc. » Idem quoque juris præscribunt Capitularia Regum Franc. *Additione III* cap. 35.

Jure nostro Regio, blasphemus, si viri nobiles, amissione honorum secundum delicti gravitatem, et iterationem delicti, multabantur, si plebeji, in prima blasphemia quinquaginta ictibus flagellabantur; in iterata signum litteræ B faciei candenti ferro imprimebatur; et in tertio repetita, lingua amputabatur: Leg. 2, 5, et 4 tit. 28 *Partit. VII*; id quod confirmavit Joannes I Castellæ Leg. 1 tit. 5 lib. 12 *Novis. Compil.*, addita quoque ab Enrico IV, leg. 2 *ejusd.*, dimidiæ partis honorum amissione, vel centum verberum pœna, si in Regia Curia prolata sit blasphemia, At sub Regibus Catholicis non ita acriter cum blasphemis actum est; ut scilicet unius mensis incarceratione puniantur; si iterato blasphemaverint, exilio ad sex menses, et multa pecunia-

ria; si tertio, vir illustris, multa duplo majori, et exilio plectatur, et plebejus, post adfixam clavo linguam, cujus loco fraenum ori ejus hodie adjicitur, ad triremes damnatur: Leg. 4 et 6 *ibid.* Accuratissima hac in re à Judicibus inquisitio peragenda est ex *indic. leg. 1*, et cuilibet facultas conceditur blasphemantem capere, ut eum carceris custodi detrudendum tradat: leg. 3 *ibid.*

TITULUS XI.

DE SACRILEGIO.

1. SACRILEGIUM QUID, ET QUOTUPLEX?—2. QUOMODO PERSONALE, AUT LOCALE SACRILEGIUM ADMITTITUR?—3. QUOMODO SACRILEGIUM REALE?—4. PÆNÆ IN SACRILEGOS.

1.

UT blasphemia verbis, ita sacrilegium facto injuriam Deo irrogat. Est autem sacrilegium violatio rei sacræ, quæ scilicet cultui divino addicta est, ac triplex ejus genus distinguitur (1). Aliud nimirum est sacrilegium personale, per quod injuria personæ sacræ, clerico, regulari, moniali infertur; aliud locale, per quod debitus sacro loco honor, et reverentia denegatur; denique aliud reale, quod admittitur contra res sacras, quæ speciatim ad cultum divinum pertinent, uti sunt sacramenta, calices, Sanctorum imagines, reliquiæ.

(1) Confer S. Thomam 2, 2 qu. 99 art. 1.

2. Personale sacrilegium committunt, qui ecclesiasticam clericorum immunitatem violant, aut in eos violentas manus iniiciunt, quique cum personis coeunt Deo dicatis. Localis sacrilegii reus est, qui localem violat ecclesiasticam immunitatem, aut in loco sacro vetitos exercet actus, qui speciatim Ecclesiæ lege loci sanctitati adversantur. Hujusmodi sunt homicidium, humani sanguinis, aut seminis effusio, sepultura infidelis aut excommunicati vitandi, per quæ omnia locum sacrum pollui, superiore loco demonstratum est.

3. Sacrilegium reale pluribus modis admittitur. Graviora hujusmodi sacrilegia sunt, cum in profanos et multo magis cum in pravos, turpesque usus convertuntur Ecclesiæ, altaria, sacra vasa, vestes altaris ministerio addictæ, sacri codices, cetera generis ejusdem (1). Furtum quoque sacrilegium est, si res sacra, aut non sacra, sed tamen Ecclesiæ tutelæ, et custodiæ com-

mendata, auferatur (2). Eodem recidunt, qui fidelium oblationes aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, quos *tamquam egentium necatores antiqua concilia execrantur* (3).

(1) Adversus eos, qui audent convertere, et torquere sententiâs Sac. Scripturæ ad scurrilia, scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, gravissimum decretum est Concilii Tridentini sess. 4 in *Deer. de Edit. et usu sacr. libror.*

(2) Non desunt, qui semper sacrilegium admitti putant, cum res aliqua ex loco sacro auferatur, licet ea sacra non sit. Sed plerique distinguunt res non sacras, quæ Ecclesiæ tutelæ, et custodiæ sunt creditæ, à rebus non sacræ, quæ nullam habent hujusmodi tutelam, quæque casu in Ecclesia reperiuntur. Tantum cum illæ, non item cum hæc auferuntur, sacrilegium committitur. Confer Gonzalezium in e. 8 de For. competen. n. 4. Canon Apostolorum 72 al. 64 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 451 ed. Amstelæd. 1724, *segregari* jubet clericum, aut laicum qui abstulerit *ex Sancta Ecclesia ceram, vel oleum*. Huc etiam referendi sunt *Traditores*, vel *Proditores*, qui scilicet persecutionis tempore sacros codices, vel sacra vasa ethnicis tradidissent, et de quibus agit Concilium Arelatense l. can. 15 t. 1 col. 1452 Collect. Labbæi. Hujus criminis reum Cæcilianum accusabant Donatistæ; quibus respondet Augustinus Ep. 185 n. 4 ad Bonifac. opp. t. 2 col. 644 ed. Ven. 1729: « Si vera essent, quæ ab eis Cæciliano objecta sunt... ipsum jam mortuum anathematizaremus. » Revera qui hæc Cæciliano objiciebant, ipsi Traditores erant, uti ex actis Concilii Cirtensis ostendunt Optatus Milevitanus l. 1 de Schism. Donat. c. 15, et 14 p. 44, et 15 ed. cit., et Augustinus Ep. 76 al 171 ad Donatistas n. 2 opp. t. 2 col. 180 ed. cit.

(3) Ita loquitur Concilium Carthaginense IV. can. 95 t. 2 concil. col. 1444 Collect. Labbæi, cum quo consentiunt Vasense II. can. 4 t. 4 col. 718, et Turonense II. can. 25 t. 6 col. 546. Videndus quoque Ambrosius de Pœnitent. l. 2 c. 9 t. 5 p. 261 ed. Maurin. Ven. 1781.

4. Pœnæ in sacrilegos, partim legibus constitutæ sunt, et partim judicis arbitrio infliguntur. Pœna legibus constituta est excommunicatio, in quam incidunt ipso facto, ut ajunt, qui in clericum, aut monachum violentas manus injecerunt, qui ecclesiasticam immunitatem violarunt, qui ecclesiam violenter confringere, ac spoliare ausi sunt (1), qui eam incenderunt (2). Reliquæ pœnæ sunt carceres, triremes, et qui gravius delinquerunt, etiam capitis pœna plectuntur.

(1) Cap. 22 de Sentent. excom.

(2) Cap. 19 eod.

(N. S. Epistolæ Canonice Gregorii Nysseni cap. 6, et 7, et Concilii Tolet. IV. Can. 45 alias 44, excommunicationis pœna in laicos, depositionis in Clericos sepulcrorum violatores sancitur. Lubet illum transcribere: « *Si quis Clericorum in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, quia faci-*

nus hoc pro sacrilegio Legibus publicis sanguine vindicatur, oportet Canonibus in tali scelere proditum, Clericatus ordine submoveri. Et quidem ex *Leg. unic.* tit. 5 lib. 2, *Novell. Cod. Theod.*, à Sisenando confirmata leg. 2 tit. 2 lib. 11 *Fori Jud.*, *servi* sepulcrorum violatores capite damnandi sunt.

Jure Hispano Ecclesiastico 1 pœna imposita sacrilegio personali, hoc est, quod Clericorum privilegiis irrogatur, præcipua est excommunicatione, ut in Syn. Tolet. III can. 13, in quo decernitur, ut si Clericus alium Clericum ad judicia publica vocaverit, *et causam perdat, et à communione efficiatur extraneus*; et can. 21, in quo statuitur, ut si Episcopus Clericum, aut servum Ecclesiæ, vel Clerici in publicis officiis occupare voluerit, à communione Ecclesiastica efficiatur extraneus. Eadem excommunicationis pœna animadvertitur in eos, qui Clericum, nisi in flagranti crimine inventum, comprehenderit, in Syn. Salmant. an. 1555 cap. 17, et in Valent. an. 1565 Sess. 4 tit. 5 cap. 16 alias 21, quin et in Hispal. an. 1512 cap. 54, interdicto Ecclesiastico subijciuntur loca, ubi personæ Ecclesiasticæ adprehensæ detineantur. Est et aliud personale item sacrilegium, illud scilicet, quod adversus saceratam Deo castitatem perpetratur, quod Syn. Tolet. I can. 16 decem annorum pœnitentia expiandum sanxit; et Syn. Herdens. can. 6, Virginis Deo devotæ corruptorem à communione, et Christianorum consortio segregandum constituit.—Jure civili Clericorum immunitatis violatores multa pecuniaria, et aliis pœnis à jure statutis plectendi: *Legg.* 3 tit. 1 lib. 2, 6 tit. 9 lib. 1 *Novis. Compilat.* Interfectores, vel mutilatores Clerici, aut Monachi capite damnandi: leg. 9 tit. 18 *Partit. I.* Turpissime se Sanctimoniali per vim sociantes, extremo quoque supplicio adficiendi sunt: leg. 3 tit. 20 *Partit. VII.*

2. Locale Sacrilegium, seu injuria locis sacris illata, excommunicatione quoque punitur jure nostro Ecclesiastico; unde negotiationes in Ecclesiis, aut cœmeteriis fieri, vel confugientes ab Ecclesia extrahi sub eadem excommunicationis pœna interdixit Syn. Vallisolet. cap. 18, et Salmant. præf. cap. 8.—Jure Regio colloquentes in Ecclesiis dum Sacra peraguntur, debitamque non servantes Ecclesiis, sive Altaribus reverentiam, pœna pecuniaria multantur: leg. 10 tit. 1 lib. 1 *Novis. Compilat.*; eademque multa, sed gravissima, qui Asyli privilegium infringere ausint: leg. 1 tit. 2 *ib.*, leg. 9, et 10 tit. 18 *Partit. I.*

3. Reale Sacrilegium, quod est rerum sacrarum ad profanos usus adapplicatio, excommunicatione in laicis, et depositione in Clericis punitur, ut in Syn. Brac. III can. 3 sacrarum Ecclesiæ vasorum ad profanas computationes abusus.—Jure civili, rerum sacrarum fures capite damnantur: leg. 18 tit. 14 *Partit. VII.* et adversus eos, qui bona Ecclesiæ, aut suppellectilia occupaverint, pœna dupli constituta est: leg. 6 tit. 5, lib. 1 *citat.*)

TITULUS XII.

DE PERJURIO.

1. JUSJURANDUM AB ECCLESIA APPROBatum.—2. Pœnæ in Perjuros.

NULLUM vinculum ad stringendam fidem jurejurando arctius

esse, omnes semper intellexerunt. Vix enim credibile est, esse hominem tam impudentem, ac perditum, qui non totis artibus contremiscat, cum audet fidem fallere ab se datam, Deo interposito tum iudice, tum teste. Quare Ecclesia probat, semperque probavit jusjurandum, ut homines firmitus teneant quod Deo teste affirmate dixerunt; et plane disipiunt qui commune jusjurandum improbant, quod justis de causis emittitur (1). Vetat quidem Ecclesia aliquem temere, et inconsiderate, atque ex levi, et inani causa jurare (2); sed fides, et religio jurisjurandi, quæ justas habet causas, merito recepta, et probata est (3).

(1) Paschasius Quesnellus *Obser. moral.* Matth. c. 5 vers. 37, *nihil Spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis oporere arbitratur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis, et efficere, ut nomen, et veritas Dei aliquando deserviat consilio impiorum.* Quæ est propositio 101 damnata in Const. *Unigenitus*. Sed, quod bene animadverterunt 40 Galliarum Præsules in Instruc. Pastoral. accept. const. *Unigenitus*, sua hac sententia Quesnellus hoc sibi unum propositum habuit, ut vituperaret commune juramentum, quod ex formula Alexandri VII. exigitur, licet deinceps ejus asectæ hanc sententiam traduxerint ad omnia juramenta, quæ à legitimis Potestatibus requiruntur. Ante Quesnellum Pelagiani, ut testatur Augustinus Ep. 157 n. 40 et 41 opp. t. 2 col. 559 ed. Ven. cit., commune jusjurandum improbant. Errorem hunc, cui nunc adhaerent, qui sunt de secta Quakerorum, et Anabaptistarum, integrarunt Cathari, et Valdenses, quos refutavit Ven. Moneta peculiari opere *adversus Catharos, et Valdenses* l. 5 c. 9 p. 462 et seq. ed. Rom. 1745. In Synodo Constantiensi damnatus hic error Wiclefi est Sess. 8 art. 43 t. 16 Concil. col. 936 Collect. Labbæi: *Juramenta illicita sunt, quæ sunt ad roborandos humanos contractus, et commercia civilia.* Est autem distinguenda; quod perperam aliqui non faciunt, invocatio Dei in testem, ab imprecatione, seu execratione, qua sibi jurans, si fallat, imprecatur, ut sibi ex. gr. Deus iratus sit. Sane utrumque esse distinguendum, constat ex juramenti formula, quæ extat apud Plantum in Ruden. act. 5 scen. 2 vers. 51 et seq. p. 1035 ed. Lugduni Batav. 1669, atque ex aliis formulis quas collegit Barnabas Brissonius *de Formulis.* Consule Sigonius l. 5 *de Republ. Atheniens.*, ubi refertur jusjurandum, quo se Heliastæ Atheniensium iudices obstringebant. Pulchre S. Thomas duplex jusjurandum distinguit 2, 2, qu. 89, art. 1 ad 3 arg.: «Alterum quidem est, inquit, per simplicem contestationem, sicut cum aliquis dicit: Est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem est; aliud est per execrationem etc.»

(2) Deum vocare testem in re ludicra, et inani, est *in vanum Dei nomen assumere.* Confer S. Joannem Chrysostomum Hom. 9 n. 5 in Act. Apostolor. t. 9 p. 76 ed. Montfauconii Paris., S. Augustin. Serm. 180 al. 28 de Verb. Apostol. c. 9 opp. t. 7 col. 864 ed. Maurin. Ven. 1762, Catechismus Romanum de Secund. præcept. par. 5 c. 3 n. 7 et 12. Quod si peccat, qui Deum testem appellat in re, quæ parvi interest, multo magis peccat, qui se peccatum aliquod sive lethale, sive veniale facturum jurat. Peccat autem lethaliter. Adesis S. Ambrosium de Offic. ministror. l. 5 c. 12 t. 4 p. 471 ed. Ven. 1781, Salyianum l. 4 de Gubernat. Dei n. 15, 16 p. 85 ed. Pedepont. 1745, Conci-

lium Toletanum VIII. c. 2 t. 7 Concil. col. 414. Collect. Labbæi, Herdense can. 7 t. 5 col. 752, et S. Thomam 2, 2 qu. 98 art. 2 ad 1 argum. Hinc merito ab Innocentio XI. an. 1679 damnata est hæc propositio: *vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam vellet, aut possit damnare hominem.*

(5) Juramenti auctoritatem, religionem, fidem probant Sacræ Literæ, in quibus ea occurrunt *Vivit Dominus: per memetipsum; juravi: sicut juravit Dominus, et non pœnitebit eum*, et alia similia. Imo passim Theologi observant, omnem Dei promissionem, atque assertionem juramentum esse. Jeremias IV, 2, *jurabilis*, inquit, *in veritate, et judicio, et justitia*, quæ sunt tres conditiones, quas et Ecclesia in juramento requirit, quibusque servatis recte commune jusjurandum emittitur. Paulus etiam non semel in epistolis jurat, ut I. ad Corinth. XV. 31, Roman. I. 9, Philipp. I. 8, et ad Hebræos VI 12 et seq., ubi Apostolus à Deo emissum jusjurandum memorat. Idem quoque confirmant Patres, in primis vero Athanasius Apolog. ad Constant. n. 8 opp. t. 1 p. 258, et Exposit. in psal. 62 p. 381 ed. Patavii 1777, Hilarius in psalm. 62 opp. t. 1 col. 176, et de Trinit. I. 5 n. 50 t. 2 col. 125 ed. Veronæ 1730, Liberius Ep. 4 ad Constant. n. 5 apud Constantium Ep. Rom. Pontific. col. 425, Augustinus Serm. 180 al. 28 de Verb. Apostolic. c. 4 t. 5 col. 861 ed. cit., « Si peccatum, inquit, esset juratio, nec in veteri Lege diceretur: *non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum.* Non enim peccatum præciperetur nobis. . . . et c. 5: ut noveritis verum jurare non esse peccatum, invenimus et Apostolum Paulum jurasse etc.; et c. 2 col. 859: Invenimus jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum etc.* Æternitatem Sacerdotii filio cum juramento promisit. Habet etiam: *per memetipsum juro, dicit Dominus*: et illud juratio est: *vivo ego, dicit Dominus*: quomodo homo per Deum, ita Deus per seipsum. Non est ergo peccatum jurare. . . jurat Deus, qui peccatum non habet. Non ergo est peccatum jurare: sed magis peccatum est perjurare. » Vide etiam S. Thomam 2, 2 qu. 89 art. 2, et Innocentium III. in c. 26 de Jurejur. Eadem est perpetua Ecclesiæ disciplina. Evagrius, Constantinopolitanum Diaconum, lectis Evangeliiis jurasse, scribit Sozomenus Histor. I. 6 cap. 50 p. 265 ed. Cantabrig. 1720. Concilium Toletanum VIII. can. 2 t. 7 col. 414 Collect. ejusd. justas jurandi causas describit. Patres Concilii Constantinopolitani Œcumenici VI. Act. 14 t. 7 col. 4011, Georgium Diaconum in singulis propositis quæstionibus jurare coegerunt; de jurejurando à Marcellino Comite interposito in collatione inter Catholicos, ac Donatistas, testimonium perhibet Augustinus Collat. Carthag. die 1 c. 5 opp. t. 9 col. 546 ed. cit. Constantinus M. Arij juramentum accepit, ipseque L. 4 Cod. Theod. de Accusat. jurejurando concludit. Similiter jurisjurandi mentionem facit Arcadius L. 3 Cod. Theod. de Pactis, atque illud ad dirimendas lites, præcidendasque calumnias interponi vult Justinianus in L. 2 cod. de Juram. prop. calumn. Ne omnia persequar, quæ prope innumera sunt Concilium Constantiense reconciliandos singulis propositis articulis jurejurando respondere jussit, ac Synodus Tridentina à Magistris, à novis Canonis, atque ab aliis sacramentum emitti voluit. Quæ ex Sacris Literis contra jusjurandum educi solent, præclare diluuntur à S. Augustino Serm. 180 cit. col. 859 seq., S. Hieronymo Comment. in Mat. c. 5 ver. 54 t. 7 col. 50 ed. Vallarsii Veronæ. S. Thoma cit. qu. 89 art. 2 ad arg. 1 et 2, Pilichdorffio contr. Valdens. c. 36 t. 25 Biblioth. PP. p. 298 ed. Lugdun., Ebrardo in Antihæresi adver. Valdens. c. 14 t. 24 ejusdem Biblioth. p. 4555, Ven. Moneta I. cit. par. 1 §. 1 et seq. p. 463 et seq., Innocentio III. cit. cap. 26 de Jure-

jur. S. Joannem Chrysostomum ab ea, quam illi Anabaptistæ impingunt, calumnia egregie liberat doctus Auctor notationum in Ven. Monetam I. c. not. 56 p. 475. Consule Catechismum Romanum de 2 Præcept. par. 3 c. 3 n. 15 et 16, Interpretes Sac. Scripturæ in Eccles. c. 25, et in Matt. c. 5, præterea PP. Maurinos in Hilarium in Matth. c. 4 n. 23 lit. g. col. 637 t. 4 ed. Veronæ 1750, P. la Fontaine t. 4 Const. Unig. theol. pro ult., P. Paulum à Lugduno t. 2 Antixapl. prop. ult. Vivam prop. damnat. Quesnelli 101.

2. Cum autem jurisjurandi fides sancta esse debeat, facile intelligitur, quam grave sit scelus eorum, qui hanc fidem fallunt, hoc est perjurium admittunt. Nam hi non tantum fidem, sed etiam graviter negligunt reverentiam debitam Deo, quem fidei testem advocarunt (1). Hinc plures adversus perjuros pœnæ sunt constitutæ. Eos, non secus ac fures, et adulteros, sese ab altari rejecturum minatur Chrysostomus (2); per undecim vero annos communionis expertes esse Basilius jubet (3). Jure civili, et canonico perjuri infames sunt (4), arcentur à ferendo testimonio (5), atque ab ecclesiasticis beneficiis (6), et aliis etiam, pro rerum, criminisque ratione, pœnis subjiciuntur.

(1) Confer. S. Augustinum Serm. 180 al. 28 c. 6 et 7 opp. t. 7 col. 862 ed. Ven. 1762, S. Joannem Damascenum Sacr. parallel. lit. o. tit. 12 opp. t. 2 p. 631 ed. Lequienii Ven. 1748, S. Thomam 2, 2 qu. 98 art. 2, Catechismum Romanum p. 3 c. 3 n. 20.

(2) S. Joann. Chrysostomus Homil. 17 in Matth. n. 5 opp. t. 7 col. 228 ed. Paris. 1727.

(3) S. Basilius Epist. canon. Can. 64 apud Labbæum Conc. t. 2 col. 1536 ed. Ven.

(4) L. 3 Cod. Theod. de Pactis, can. 9 caus. 5 qu. 5, can. 17 caus. 6 qu. 1, can. 7 caus. 22 qu. 5.

(5) Cap. 7 et 54 de Testib.

(6) Confer Gonzalezium in c. 41 de Jurejur. n. 8.

De sancitis Hisp. legibus in *perjuros pœnis ante novis. cod. pœn.*, consul. Præpos. D. Jo. Sala citatum opus: *Ilustracion del Derecho Real*, lib. 2 tit. 26 §. 5.

TITULUS XIII.

DE DIVINATIONE.

1. DIVINATIO QUID, ET QUOTUPLEX?—2. AUGURIUM.—5. SORTILEGIUM.—4. PACTUM CUM SATANA.—5. PŒNÆ IN EOS, QUI DIVINATIONI, ET SORTILEGIO STUDENT.

DIVINATIO significat præsentionem, et scientiam rerum futurarum. Hæc autem ars, non solum vana, et futillis, sed etiam